

IV.

Weih e = Gedicht

a n

Adolf, Grafen von der Mark,
bei seinem
Regierungs-Antritt als Bischof von Münster.

Aus einer Handschrift der Ampronianischen Bibliothek
zu Erfurth *) mitgetheilt

von

Dr. H. A. Erhard.

O stirpis quem nobilitas a stipite primo
Supremoque gradu praefulgens imperialis,
Regali genere descendens usque parentes
Aequa laude tuos trabeato foedere junctos,

*) Ampronius von der Buchen, de Fago, auch von Natin-
gen genannt, aus Rheinbergen im Erzstift Köln gebürtig, ein
gelehrter Arzt, kam gegen das Ende des 14. Jahrhunderts als
einer der ersten Lehrer auf die neu gestiftete Universität Erfurth,
wo er, aus seinen eigenen Mitteln, das nach seinem Namen be-
nannte Collegium Ampronianum, vorzugsweise für Abkömmlinge
seiner Vaterstadt Rheinbergen, stiftete. Er schenkte demselben
seine, für jene Zeit ausgezeichnete, besonders auch an Werken der
klassischen Literatur ungemein reiche Bibliothek, aus der aber spä-
ter, bei unruhigen Zeiten und mangelhafter Aufsicht, manche der
bedeutendsten Schätze sich verloren haben; der Ueberrest ist jetzt
der königlichen Bibliothek zu Erfurth einverlebt. Die Handschrift,
welche das obige historische Denkmal aufbewahrt, gehört dem
14. Jahrhundert an, und befindet sich mit verschiedenen anderen
lateinischen Gedichten in einem Bande, in dessen Inhaltsangabe
das unsrige von Ampronius selbst nur: Quidam versus adu-
latorii bezeichnet wird. — Von dem Helden des Gedichts ist be-

Clevensis summe concepit clara propago,
 E Marka nupta generi te sanguine celsum
 Egregium paritura virum, pariensque modestum,
 Justum, compositum, lepide docteque loquentem.
 Quem puerum triviis vestivit Legia, plenum
 Indolis eximiae, jurisque deinde peritum
 Armavit juvenem Mons pessulanus, ovansque,
 Unanimi clero populoque, sacro quasi flatu,
 Sacris ordinibus quamvis annisque minorem,
 Magnorum fultum clipeo sensuque vigentem,
 Te sibi pontificem licet ultro praeesse petenti,
 Motu nempe tamen proprio, puroque favore,
 Scitis rite tuis, juris supplentibus annos,
 Moribus ac meritis, studio, virtutibus, ortu,
 Citra legitimum dispensans gratia tempus
 Praetulit ecclesiae Romana Monasteriensi,
 Plenitus agnoscens huic te prodesse potentem
 Ulterius reliquis titulis potioribus auctum,
 Amissamque diu dragmam reperire valentem,
 Ac humeris ad ovile tuis diserta propinquum
 Nisurum referatur ovis, lapsique resurgent,

kannt, daß er 1357, bei noch sehr jugendlichem Alter, zum Bischof von Münster erwählt wurde, aber erst 1358 die päpstliche Bestätigung erhielt, und im Februar 1359 zu Münster seinen feierlichen Einzug hielt; 1363 das Bisthum Münster mit dem Erzbisthum Köln vertauschte, aber auch dieses im folgenden Jahre resignirte, sich vermählte und so der Ahnherr des Cleve-Märkischen Fürstenhauses wurde. Vergleicht man die betreffende Stelle der mit unserm Adolf schließenden Märkischen Chronik Lewold's von Northof mit dem vorliegenden Gedichte, so zeigt sich eine so auffallende Verwandtschaft in Gedanken und Ausdruck (z. B. die besondere Vorliebe, mit welcher die schöne Leibesgestalt Adolfs hervorgehoben wird), daß die Vermuthung fast unabweislich ist, auch dies Gedicht müsse Lewold von Northof zum Verfasser haben, wie sie denn auch durch dessen bekannte Dienstverhältnisse zu dem Hause der Grafen von der Mark unterstützt wird.

Te quasi vere novo, flores, quos horrida dudum
 Marcentes siccarat hiemps, zephiroque feralis
 Acturus boreae tempestas casset amoeno.
 A proavis igitur ducens illustribus ortum
 Imperii sceptro gladioque fideliter usis
 Salvo Jure tamen et honore per annua stanti
 Prorsus apostolico, veris exstantibus ipsis
 Catholicis fideique sacrae cultoribus aequis,
 Quique sacram sedem semper coluere Petrinam,
 Romanamque colunt, cui se debere fatentur
 Perpetuis subiti servireque praesto diebus,
 Cum tibi non solum, sed eis providerit, immo
 Fratrum consiliis intervenientibus, horum
 Qui servo Christi servorum collaterales
 Jugiter assistunt et habent a cardine nomen,
 Cleri totius urbisque Monasteriensis,
 Te cathedrals in ea, prospexerit utilitati,
 Magnae praesertim bonitatis utroque parente
 Existente tuo, conformis nobilitati
 Praecelsi generis, actus imitare tuorum,
 Ut genus eximum, nec sit tua nobilitate
 Virtus inferior, nec mores vincat origo,
 Ardua quin immo tua stirps ac intima virtus
 Sic simul aequentur, sic semper spirituali
 Conjugio coëant, ut nunquam casibus ullis
 Inter eas aequa junctas divortia fiant.
 Ritus ergo tui sapias utriusque parentis,
 Maternam redolens vitam moresque paternos,
 Atque tui patrui venerabile nomen habentis
 Engelbertus, eo multis de stirpe creatis
 Magnipotente sua generis quasi jure vocatis.
 Huic proprio patruo, cuius probitate vigentis
 Magnanimisque sui sinceri praesulnis, hostes
 Perterrens quoscunque suos, exterrita nunquam,
 Illo praesenti sub eo tutissima pugnans,
 Aleidae similis et ut Hector in arma volatu,
 Ceu volueris Pernice ruens Asacleque celorum,

Non minus accurrens agili velocior aura,
 Legia multiplici crebro super hoste triumphat.
 Hujus praecipue patris non immemor alti
 Nominis ac famae clarentis ubique locorum,
 Inmanisque licet, summis tamen inferioris
 Actibus illius, quos fauste Leodiensem,
 Incipiens juvenis, decies ferme tribus annis
 Ecclesiam moderans, plurali laude peregit
 Experta, totiens hereses ac scismata, vimque,
 Ecclesiae sanctae jus defensando, cohuncens,
 Instar Ezechiae divini cultor honoris,
 Sedatorque pius guerrarum, pater alumnis.
 Illius idecirco digni felice relatu
 Nomen Adolphus habens, voici sua facta marites
 Admiranda tuae, nec solo nomine, sed re,
 Stirpeque non sulum, sed ei simileris ad unguem,
 Omnibus usque modis ab eo, cui nomine, forma
 Compar es et genere patrio similaris eidem,
 Nondum degenerans, ejus famosa sequaris
 Gesta fide plena, cujus nec scribere laudes
 Sufficeret calamus, nec promere sermo valeret.
 Heus igitur, cujus species extrinseca frontem
 Gratificat, membra dimensio justa venustat,
 Ac totum corpus illustrat forma virilis
 Grate velut Jonathas, specie non dispar Adoni,
 Aeneaeque pio, facundo compar Ulix,
 Immunisque doli verax Samuelis ymago,
 Virtutum senio Nestor, Melicertaque vernans
 Flore juventutis, vultu Narcisse decoro,
 Quas natura dedit speciebus corporis, almum
 Semper conformes animum, quo gratia multis
 Dotibus ornato corpus divina beavit,
 Taliter adjungens membris mores speciosis
 Ac speciem meritis, ut pulchre debita forma
 Consita materie, specie virtuteque junctis,
 Sacro conjugio te reddit utrumque decorum
 Compositumque virum, mundoque Deoque placentem,

Donaque fortunae, quae verius aestimo dona
 Flaminis esse sacri, cum pulsa labe reatus
 In te concordi papa praefante moderno
 Fratre suo quovis in idem concorde propinquo
 Descendente quasi divino flamine, gratis
 Sint merito collata tibi gratisque recepta,
 Tanto multiplices coelesti foenore, quanto
 Lucro legitimo domini commissa talenta
 Multiplicare sui servi studuere fideles.

Cumque seias norisque, magis scribente disertus,
 Quid cornu signat duplicitis velansque tyara
 Pontificale caput, quartum quid denotat ornans
 Anulus articulum, pastoralisque recurvus
 Quid baculus prodit, quid se cum vertit ab ara
 Respiciens populum mitrato vertice pandit
 Pax vobis dicens, quid praesulis indicat usa
 Laeva manus baculo, quid monstrat praesul ad aram
 Mitra deposita cum se plerumque revertit,
 Te tamen usurum per suprascripta notatis,
 Cum caput exterior perfuderit uncio sacra
 Crismate visibilis oleique liquore sacratus
 Extiteris manibus, animumque sacraverit intus
 Uncio subterior impossibilisque videri,
 Singula scita licet moneo praemissa sacrandum
 Extremae capitum memori desigere cellae,
 Te Pauli memorem cupiens simul esse, docentis,
 Qualibus atque quibus redimitus Episcopus esse
 Debeat, illa scias quamvis propensius et te
 Tyto conformes in moribus ac Thymotheo,
 Ut cordi praefixa tuo praestantius illa,
 Cum fuerit tempus, per te ducantur in actum.

Quantis ergo videns summa bonitate bearis,
 Pulcher Adolphe, foris, intus virtutibus ardens,
 Stirpe micans, fronesque placens circumlice, morum
 Plenus honestate, verbisque modestus et actis,
 Advertens quod adhuc juvenem te papa crearit
 Magnum pontificem, reliquis communia cunctis,

Moribus antiquo, juveni tibi jura relaxans,
 Quodque sui fratres tibi contribuere favorem,
 Nonnullis speciale decus facientibus, ultra
 Communes titulos, generoso sanguine nato,
 Communique sibi, zeli non immemor hujus,
 Quem te poscentes in sponsum, pneumate ducti,
 Voto monstrarunt concorde Monasterienses,
 Non tamen ista tuis meritis patrata recensens,
 Immo sinente Deo papaque volente, potenti
 Quaevis divinae nondum contraria legi
 Laudum praecepit referas praeconia summo
 Summa creatori, Christique deinde ministro,
 Servorum servo, devota laude relata,
 Obice summoto quovis, constanter obedi,
 Teque suis semper pedibus summitte beatis,
 Ut Constantinus et uti Valentinianus
 Se submisit eis, rex tunc Romanus uterque.
 Praecipuos etiam toto conamine fratres
 Romanos decores, clerumque Monasteriensem,
 Ingratus nulli, gratus cuicunque benigno.
 Illis praesertim, qui plebi cottiliana
 Fessi luce nimis, lunari tempore noctes
 Insomnes duxere graves curasque morosas,
 Antea surgentes solita quam lucifer hora
 Sacra prius domino fusuri vota superno,
 Postque locuturi dominis a cardine dictis,
 Nunc hiis nunc illis, fantes sermone modesto
 Discretoque modo, nunc respondendo petitis,
 Nunc affando prius, nunc vero tacendo deorsum
 Compressa facie, nunc dextro poplite flexo,
 Longius a domino stando quandoque loquenti,
 Cum visum fuerit interdum fante sedendo,
 Sero magis reduces quam noctu vesperus atra,
 Corpore vexati, cruciati corde, magisque
 Quam foris interius animo quam corpore laesi,
 Perplexi, dubii nutantes, nuncque tremore
 Quassi non modico, grata nunc spe relevati,

Incerti quamvis dubiam quo remige navem
 Aequoris in medio titubantem ducere possint,
 Quove die poterunt dubii contingere portum,
 Quem tamen, ut remi fortes movere carinam,
 Erectis velis, vento perflante secundo,
 Aequorea penitus quavis cessante procella,
 Flamine leniti sacro, tetigere salubrem,
 Ut majore quidem plurique labore gravatis
 Digna suo merces respondeat aequa labori.
 Tantis quapropter exacto tempore fulgens
 Cum titulo nondum splendebas pontificali,
 De modo quam multis ex nunc in culmina semper
 Crescas virtutum clarum prius omnibus unus
 Exemplar cujusque boni praecarius exnunc,
 Sub modio nunquam, palam quin immo relucens,
 Ac propriis ovibus praelucens pastor, opacum
 Luce tua moveas, ut sic conformia nubant
 Membra suo capiti, decorentur ab arbore rami
 Frondibus ornata, maneantque sui sine limo
 A ducti fontis illimis origine rivi,
 Sintque tuae quantae qualesque fuere priorum,
 Antiquisque novae succendant, supplico, laudes.
 Sit tibi forma Joseph, zelus Phinees, Salomonis
 Sensus, simplicatas Jacob, Moysesque modestum
 Te citet esse, pium Thobias, Job patientem,
 Teque fidem moveat Abraham servare fidelem.
 Cumque velut Moyses in montem scanderis, infra
 Ad populum descende tuum, docturus eundem,
 Quae te praedocuit in monte supremus eodem
 Ut Moysen Dominus, legalia dogmata promens.
 Sique tui populi nonnullos forte, quod absit,
 Noveris ydolatras vitulum conflasse colendum,
 Quique per illicita conjuncti foedera, passim
 In Iherico de Iherusalem sacra venientem
 Nitantur spoliare virum, manibusque ferire,
 Phassur in hoc similes, sacrum temptent Iheremiam,
 Aut Achior velut Assyrii configere plantae,

Membrane judaice Stephani lapidare facessant,
 Inve lacum regis instar Cyri Danielem
 Mittere conentur, properentve fugetur Helyas,
 Ut Saul in David surgentes, inque prophetas
 More trucis Ihesabel, in Abelque furore repleti
 Sponte sua Domino grata libare volentem
 Saevi nequiciam Caym sapiendo ruentes,
 Haec toto fieri prohibens enormia nisu,
 Conceptum properes tantum proscribere crimen
 Praedulci sermone tuo, superesque rebelles
 Si poteris precibus, Moysen superasse recordans
 Sic Amalechitas, in eosve deinde ferendis
 Canonicis uti poteris sine erimine poenis,
 Censurisque frui duro similem Pharaoni,
 Multotiens heresi veterique novaque notatum
 Achacium damnare potens, tandemque rigori
 Tradere Caesario secus an superare licebit,
 Aus pugnare manu. Scribendaque plura relinquo,
 Arto praecirca prohibente tempore scribi,
 Neque velut Balias te velle docere Maronem
 Solarique puter sincillam jungere luci.

In magnum forsan animi ducere stuporem,
 Quod tibi pulvis ego praesumo scribere, quamvis
 Attentis stupeam tam magnis laudibus ut tu,
 Immo magis fateor, magno tamen edere cogar
 Carmen honore tui, plausu vehemente coactus,
 In dulcisque tuo confisus odore saporis
 Ac humili pietate tua, concepta coartor
 Internae mentis depromere gaudia verbo,
 Illa tamen trepidus ac corde pavente resolvens.
 Sic Abraham pavide trepideque fuisse locutum
 Supremo domino scriptura teste recordor.
 Tuque recordatus, quod bestia muta prophetae
 Fata fuit Balaam, me bruti more loquentem
 Supportare velis, praefati patris amore,
 Praesulis antiqui patruique favore moderni,

Ad quos afficiar amborum parvus et imus
Filius ac servus animo devotus utriusque.

Finem quaeso tamen cupiens imponere verbis,
Ignoscique petens titulo pietatis eisdem,
Mitis Adolphe, tuae, magno moveare canentis
Pauperis affectu, praesens admittere scriptum.
Extinctaque fere me deficiente favilla
Multa loqui nequiens, precor incessanter, ut ille,
Qui ventura ferit, servat nascentia, nata
Sub stabili cuneta concludit pandere, fine
Principioque carens, qui certis finibus aptat
Omnia legitimis sine motu, mobile firmis
Funibus omne ligans, te casu semper in omni
Servans incolumem, longos diuturnet in annos,
Ad laudem Domini, Ronanae sedis honorem,
Atque tui cleri populique tuamque salutem,
Teque suum faciat, semper crescendo beatum
Principium medio, medium conjungere fini.